

rerum ita in mundo continentur, ut omnes simul sumtæ totam universi essentiam constituent, has esse, quæ dicimus, attributa DEi. Species autem individua complectuntur & in se continent, hæcque per illas concipiuntur seu ex illis cognoscuntur, hinc ea vult modos esse. Atque hoc sensu. *Prop. XI.* dicit Deum substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimit. Quocumque convenit *Part. II. Prop. 44.* *De naturâ rationis non est res, ut contingentes; sed, ut necessarias, contemplari.* Adeoque essentia rerum sunt æternæ, seu, ut *Part. I. Prop. 19.* *Deus, sive omnia Dei attributa sunt æterna.* Et *Prop. 21.* habet: *Omnia, quæ ex absoluta natura alicujus attributi Dei sequuntur, semper, & infinita existere debuerunt, sive, per idem attributum æterna & infinita sunt.* Interim tamen: *Rerum à Deo productarum essentia non involvit existentiam, juxta Prop. 24.* Hæc Spinozæ de mundi rerumque mundanarum originæ doctrina est, quâ in eundem Philosophos antiquissimos antecessores habuisse, commonstrarunt Dn. D. BUDDEUS *Disp. de Spinozismo ante Spinozam*, WITTICHIUS *Exercit. Theol. I. de DEo mundi Rectore §. 5 -- II.* Quatenus cum Judaismo ea conveniat, exponit WÄCHTERI *Spinozismus im Judenthum, oder, die von dem heutigen Judenthum und dessen geheimen Kabbala vergötterte Welt Part. I.* In quantum ad stipulatorem nacta fuerit FRIDERICUM van LEENHOF edocuit Dn. JENICHEN *Historia Spinozismi Leenhofiani Cap. 2.* Nec JOH. TOLANDUM in *Origin. Judaic.* alienum à Spinozæ sententiâ esse, probat Cel. Dn. D. DEYLINGIUS *Observat. Sacr. Part. II. Obs. I. §. 6. & 8.*

§. VIII.

Fanaticos quod spectat, non permittet instituti præsentis brevitatis, veterum quorumcunque verba colligere, eorumque cum Philosophis Gentilibus commonstrare consensum, sed videndus de iis erit COLBERGIUS in dem *Platon Hermet. Christenth. Part. II. Cap. II. §. 8 sqv.* Nobis sufficiat, ex recentissimis, qui omnium instar esse possit, allegasse sic dictum CHR. DEMOCRITUM s. DIPPELIUM in dem *Beg. Weis. zum verlohrenen Licht und Recht Part.*